

Jo. Limnaeo a): *Isabella Lofa Corduensis inter Hispanos pergnara femina lingua latina, graeca atq; Hebraica, cum ad Doctoris gradum in Theologia evecta fuisset, post mortem mariti facta est monialis Ordinis seu Clara. In Philosophicis Lauream, ut vocant, Doctoralem quinque praeter maternam, linguarum peritam virginem Piscopiam a Collegio Philosophico Academiae Pataviensis d. 25. Jun. A. 1678. impetrasse ex nummo patet, quem ejusdem Collegii decreto in honorem Piscopiae cusum supra memoravimus. Et licet quidem fuerint, qui eandem, quum studiis sacris magna pariter cum diligentia nec minore cum successu incubuisset, supremis in Theologiae etiam honoribus dignam judicarunt: b) Piscopiam tamen, Episcopo Paduano Cardinale Barbarigo desideriiis ejus adversante, honorum istorum, quos ipsa ambibat, Theologorum repulsam tulisse *Magnif. Dn. D. Mayerus* e) nos edocuit. Cujus rei exemplo idem *Vir Gravissimus* suffultus Leg. 2. ff. de Reg. Juris (cum qua conferri possunt L. 12. §. pen. ff. de judiciis. L. 1. ff. ad Sctum Vellejanum) feminas gradu Doctoris Theologiae, si quam habent ejus scientiam intimiorem, dignas quidem judicandas, & Doctoribus nonnumquam doctiores esse asserit, eodem tamen solenniter ornandas inficiatur.*

§. XIX. Alteram honoris Heroici speciem, quam solas Heroinas Sagatas sibi vindicare diximus, Equestres inter ipsas Ordines constituent. Magna & praecipua ferè haectenus Ordines Equestres Heroum ornamenta fuerunt atque decora. Eadem tamen Heroinarum etiam honorem augere & illustrare coeperunt. Memorantur tales ordines IV. numero: Quorum primum constituunt Heroinae ab Ascia die *Damen von der Ayt* cognominatae. Harum enim ordinem Equestrem *Raymundus Berengarius*, ultimus Comitum de Barcelona, per nuptias cum *Petronella Regis Ramiri* filia initas, Regni Arragoniae haeres factus *Tortosa* a Maurorum obsidione feminarum fortitudine liberata, instituisse fertur. Alterius ordinis *Succinctarum Heroinarum*, *der Orden der gegürteten Damen* dicti fundamenta posuit *Anna Ducissa de Bretagne* *Caroli VIII. Regis Galliae* uxor. Nulla Feminarum Illustrum in ordinem hunc adoptabatur, nisi vitae & morum sanctimonia stirpisque suae nobi-

a) *Addition. ad Lib. VIII. Jur. Publ. p. 345.* b) *v. Junck. l. c.* c) *Diss. de Doctoratu Theologico, 1699.*